

## LIBER XX.

## CAPVT I.

## De longe consuetudine.

**L**onga dicitur consuetudo adiectione perpetua non discretione breuis : nec enim ulla uim habet, nisi quae longa est et plurimis annis usurpata, quod et probare debet, qui consuetudine nititur, *l. 1. C. quae sit long. consuet. l. 3. §. ult. D. de testib.* uel testibus, uel rebus iudicatis: et testibus, non rogatis quidem singulis ciuibus uel prouincialibus, sed, ut fit, per tribus, aut curias, aut centurias, aut uicos, interrogatione currente rebus iudicatis, ut si ostendatur, cum in iudicio quaereretur de consuetudine, et unus adsereret talem esse consuetudinem, alter uero iustus contradictor non lusorius negaret esse talem, iudicem firmasse consuetudinem, *l. 34. D. de legib.* Sententia iudicis confirmat consuetudinem quae iam inualuit, si quis eam contradicat et uitilitiget, contradictio iudicio, ut ait *d. l. 34.* id est caussa cognita, ut in glossis antiquis, Ex contradictione *κατὰ διάγνωσιν*, hoc est, sententia iudicis declarat consuetudinem, quae est, non etiam facit consuetudinem quae non est, ut similiter dicitur sententiam iudicis non constituere seruitum, sed eam, quae est, declarare, *l. 8. §. 3. D. si seruit. vindic.* Et errant, meo iudicio, qui putant, duas sententias iudicis in eodem genere litis consimiles consuetudinem facere: nam a rebus iudicatis consuetudo separatur, *l. 38. D. de legib.* et non res iudicatae consuetudinem faciunt, sed tacitus illiteratusque consensus populi, frequenti, adsiduo, et longaeuo usu inueteratus, et res iudicatae uim legis non obtinent, si bis tantum similiter iudicatum fit, sed si saepius et perpetuo, *d. l. 38. D. de legib.* ergo nec consuetudinis quae legem imitatur. Et quod est scriptum in *l. 3. C. de episc. aud.* ad quam nos illi allegant, primum id non est de communi consuetudine unius ciuitatis uel prouinciae, qua de agitur, sed de moribus unius hominis; deinde quod ait, ei, cui uenia criminis data est semel, non dari iterum, si in idem crimen relabatur, quod impunitatem ueteris criminis non emendationi potius, quam consuetudini deputauerit, id ait *ὑπερβολικῶς*. Certum enim est, consuetudinem uel habitum, quem intelligit, ex una uel altera actione non ingenerari

## CAPVT II.

Ad *l. 27. C. de donat.*

**N**ec inter extraneos, nec inter parentes et liberos facta donatio valet sine actorum contestatione sive insinuatione, *l. 27. C. de donat.* Hoc glossae partim male, partim bene excipiunt: male ita, si donatio inter parentes et liberos fiat ex scripto; nam et quae sine scripto fit, et multo magis insinuationem exigit, ut LEONIS Nouell. L. bene ita, si donatio excedat legitimam quantitatem, alioquin non exigi insinuationem. Dicet aliquis, at si ita accipias *l. 27.* nihil igitur proprium, quod si inter parentes et liberos ea lex statuit; nam et inter extraneos idem iuris est: nec fuit causa dubitandi ulla, an idem esset inter parentes et liberos: quam ob rem et ex

Grae-